



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 3. De Cognoscibilitate mysterii jam facti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)



dum in natura ut connexum cum existentia Incarnationis: docet 2. Angelo deberi cognitionem omnium rerum naturalium secundum naturalem rerum constitutionem, non verò secundum potentiam obedientialem; unde licet naturam creatam comprehendere possit, non tamen omnia, quæ juxta capacitatem obedientialem DEUS potest in tali natura operari, quod tanquam omnino certum supponit Exim. Doct. disp. 22. sect. 1. cumque Unio hypostatica, & carentia propriæ subsistentiæ sint secundum potentiam obedientialem humanitatis, non attinent ad naturalem Angeli cognitionem.

39. Huc reducuntur reliquæ Theologorum sententiæ; Molina enim ait, Angelum non cognoscere carentiam propriæ subsistentiæ in humanitate quantumvis naturalem; quia incognoscibilis est absque termino supernaturali Angelo indebito: alii cum Vasquez, Arrubal, & Granado censent, talem carentiam ab Angelo non cognosci, quia inducta est modo intrinsecè supernaturali; alii cum Bernal disput. 1. sect. 4. & §. 4. docent, Angelum non posse naturaliter talem carentiam cognoscere, quia hæc est intrinsecè, & entitative supernaturalis; ubi plura addunt, quæ approbare non possum, ut suo loco dicemus: conveniunt tamen communiter Doctores, adhuc post operatum Mysterium non posse intellectum creatum absque illius captivitate cognoscere naturaliter Incarnationis Mysterium, ut defacto contingit. Cum quibus

40. Affero 1. Non potest intellectus creatus solis viribus naturæ relictus absque illius captivitate cognoscere Mysterium Incarnationis jam factum. Probat 1. Si aliquo modo possit cognosci hoc Mysterium, postquam factum est, ab intellectu creato suis viribus relictis, maxime ex operibus, & miraculis Christi Domini in se præcisè spectatis, quin opus esset captivare intellectum propter revelationem Divinam revelantem Mysterium, & per illa opera, & miracula nobis applicata. Atqui ex miraculis, & operibus Christi in se duntaxat spectatis, & quatenus sub naturalem cognitionem cadere possunt, non potest evidenter intellectus creatus naturaliter inferre existentiam hujus Mysterii jam facti: ergo &c. Probat 2. min. Illa opera, & miracula Christi in se præcisè spectata, quatenus sub naturalem cognitionem cadere possunt, non erant evidentiæ signa Divinitatis unitæ hypostaticæ humanitati, si separantur ab illo testimonio, quo ipsemet Christus dicebat, se esse DEUM, sive à revelatione Divina, in cujus confirmationem Christus talia miracula faciebat.

41. Nullam equidem fuit opus, nullum miraculum à Christo factum, quod non potuerit fieri à DEO per creaturam personaliter à se distinctam; unde & ipse Christus Joannis 14. dixit: Amen dico vobis, qui credit in mea opera, que ego facio, & ipse faciet, & majora

horum faciet; ideo ea opera, Christi eatenus conducebant ad nostram cognitionem de Incarnationis Mysterio, quatenus fiebant in confirmationem illius veritatis, qua Christus revelabat, se esse DEUM; sic enim revelatio per illa miracula nobis sufficienter applicabatur ad credendum, & ad captivandum intellectum in obsequium fidei: ergo sine captivitate intellectus adhuc post Mysterium jam factum non potest ulla creatura solo lumine naturæ ducta cognoscere existentiam Mysterii, ut defacto contingit.

42. Probat 2. Licet intellectus creatus solo lumine naturæ ductus bene cognoscat, Deum esse supra id, quod nos concipere possumus, cum sit infinitus, & non limiteretur limitatione imperfecti nostri modi cognoscendi, non tamen potest solo lumine naturæ cognoscere, has esse perfectiones illas Divinas, quæ sunt supra id, quod nos cognoscere possumus; aliter eo ipso non essent supra id, quod nos cognoscere possumus; unde ex solo Verbo Dei, sive revelatione JESU Christi innotescere non potest intellectui creato, quænam sint illæ perfectiones: sed una ex his perfectionibus est, quod secunda Trinitatis Persona humanitatem hypostaticè assumat; ex quo intellectus agnoscat Verbum identificatum cum natura Patris, & Spiritus Sancti, uniri physicè humanitati, quin physicè uniantur Pater, & Spiritus Sanctus, ac proinde dari in DEO summam illam perfectionem, vi cujus ea prædicata, quæ sunt idem cum uno tertio, non sunt idem inter se, quæ quidem est ex perfectionibus, quæ sunt in Deo supra id, quod nos concipere possumus, ac proinde ad quam pervenire non possumus sine captivitate intellectus, juxta doctrinam Augustini citati num. 2. ubi de hoc Mysterio dicebat: fateamur ergo, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. Sed ex his aperte inferatur assertio nostra; ergo &c.

43. Affero 2. cum Exim. Doctore disp. 3. sect. 2. quamvis carentia propriæ subsistentiæ humanitatis naturaliter cognosceretur ab Angelo, non posset exinde Angelus solo lumine naturæ ductus absque intellectus captivitate nec evidenter, nec probabiliter positivè inferre existentiam Incarnationis jam factæ, ut defacto contingit. Probat 1. Quamvis Angelus naturaliter videret humanitatem privatam propriæ subsistentiæ, non tamen posset naturaliter cognoscere, quod ea humanitas non posset divinitus subsistere per subsistentiam subsistentiæ supernæ Angelo naturaliter ignotæ, vel per subsistentiam creatam, quam ob occultum finem Deus Angelo revelaverit; neque haberet tantam difficultatem, quantum ad sibi suadendum, posse aliqua identificari cum uno tertio, quin sint idem inter se; etenim ad suspensionem tantæ perfectionis non posset naturaliter accedere; siquidem ista in Deo est una ex illis perfectionibus, quæ sunt supra

supra id, quod nos concipere possumus; ad probabilitatem autem, vel saltem ad suspicionem de eo, quod humanitas possit divinitus carere omni subsistentia, vel subsistere per alienam subsistentiam sibi divinitus occultatam accedere naturaliter posset: ergo ex cognitione illius carentiæ neutiquam inferret existentiam Mysterii Incarnationis jam facti, ut defacto contingit.

44. Probatur 2. Istud principium: *que sunt idem cum uno tertio, sunt idem inter se*, ita obruit vires intellectus creati, ut independentem à lumine supernaturali sibi suaderet extendi etiam ad omnia prædicata Divina, ut diximus n. 15. Quod autem humanitas possit esse privata omni penitus subsistentia, vel quod possit subsistere per subsistentiam supernaturalem creatam, vel quod non possit, non ita obruit intellectus vires: ergo Angelus potius dubitaret, an humanitas illa esset privata omni penitus subsistentia, vel an subsisteret per supernaturalem subsistentiam sibi occultam, quam sibi suaderet, vel in suspicionem venire, an subsisteret per subsistentiam Verbi; proindeque solis viribus naturæ ductus neutiquam veniret in cognitionem Mysterii jam facti, ut defacto contingit.

45. Confirmatur ab aliis 1. quia Angelus naturaliter cognoscit accidentia in Eucharistia esse sine subjecto panis, & vini; sed non ideo cognoscit ea accidentia uniri alteri subjecto: ergo licet naturaliter cognoscat humanitatem Christi spoliatam esse propria subsistentia, non ideo inferret, unitam esse alteri subsistentiæ, & præsertim Divinæ. Confirmatur 2. Non esset Angelo tam difficile sibi suadere eam Christi humanitatem esse creaturam altioris perfectionis, cujus cognitio ipsi non debebatur, quam suspicari, quod esset hypostaticè unita DEO in unitatem Personæ: ergo ex illa carentia non inferret existentiam Mysterii jam facti, ut defacto contingit; ergo &c. Ex dictis

46. Fit 1. Dæmones solis naturæ viribus duetos non cognovisse Mysterium Incarnationis. Ratio est, quia nullum est medium in natura ad id cognoscendum, ut constat ex dictis; unde licet suspicionem aliquam habuerint, exinde procedebat, quia revelatum jam erat illis Mysterium Incarnationis, cui noluerunt assensum Fidei præbere, & superbiâ ducti noluerunt se submittere homini DEO, propter quod peccatum damnati fuerunt. Quare postea videntes opera Christi, merito suspicari sunt, an homo ille mirabilis esset DEUS, cui ipsi tenebantur se submittere, quod modò inviti credunt, & ad eum assensum naturalem coguntur, ut communiter docent Theologi, & diximus in Tract. de Fide à num. 563. & num. 992. 733. juxta illud Jacobi 2. *Et Dæmones credunt, & contremiscunt*; non tamen exinde Dæmon certam notitiam de Christo habuit, dum erat

Viator, ut communiter docent Sancti Patres. Unum pro cunctis producatur Ignatium Epist. 1. quæ est ad Philippenses; ubi circa medium Dæmonem exagitans ait: *ignoras tu, quis sit genitus? qui omnium rerum scientiam tibi vindicas? at multa te latuerunt; MARCE virginitas, & admirandus ille partus; & Epist. 11. quæ est ad Ephesios paulò ante finem: Principe hujus mundi latuit virginitas, & partus ipsius.* Vide num. 13.

Fit 2. Intellectum creatum posse elicere non solum probabilitatem, sed etiam actum naturalem adhæsiivè certum de existentia Mysterii Incarnationis, si sumat pro fundamento medium supernaturale ducens ad talem assensum, ad quem ab ipsa omnipotentia cogatur. Ratio est, quia ita creditur Dæmones, & contremiscunt memores revelationis jam factæ in primo suæ creationis instanti, & memores sententiæ suæ æternæ damnationis, quia huic Mysterio non crediderunt; coguntur enim à Divina omnipotentia juxta communem sententiam Theologorum, ut præbeant assensum naturalem adhæsiivè certum illi sententiæ de eorum damnatione; licet enim actus naturalis non possit habere connexionem cum Ente supremo, potest tamen sine illa connexionem esse adhæsiivè certus; sic enim plures Hæretici circa suos errores habent actus naturales, per quos ipsis erroribus absque ulla dubitatione adhærent, idèoque illi actus vocantur adhæsiivè certi; unde mirum non erit, quod circa veritatem supernaturalem possint etiam reperiri actus adhæsiivè certi, qui nullum dubium relinquunt in oppositum: sed de his à n. 50.

Fit 3. objectum materiale hujus Tractatus minus præcipuum esse quodlibet perfectibile, à Christo adæquatè, vel inadæquatè distincto, de quo disputationes istæ in conclusionibus enuntiant, cujusmodi est Christi voluntas de qua inferimus inpeccabilitatè, & unio hypostatica, quam inferimus esse intrinsecè supernam, objectum verò magis præcipuum, & attributionis intrinsecè ex natura hujus partis Theologicæ esse Verbū Divinum incarnatū, sive *Deum hominem*; siquidem Tractatus iste ex natura sua omnia refert ad Christum Dominum; unde omnes hujus Tractatus conclusiones objectivè sunt objectum materiale adæquatè & quælibet una, vel plures ipsarum sunt objectum materiale inadæquatè.

Objectum formale adæquatè sunt omnia paria præmissarum objectivarum, ex quibus hæc Theologica conclusio inferitur, inadæquatè verò quodlibet par vel paria illarum; v. g. in hoc syllogismo: *omnis homo est risibilis: sed Christus est homo: ergo Christus est risibilis*, objectum materiale hujus conclusionis Theologicæ est Christus risibilis, formale verò identitatis duorum cum tertio reperta in præmissis, ex qua moveretur intellectus ad assensum conclusionis. Quando autem hæc pars Theologiæ sit, vel non sit scientia, aut facultas practica, vel spe-

culativa pendet ex principiis, quæ traduntur in proœmialibus Theologia; ubi quæritur, an Theologia sit practica, an speculativa, & an obscuritas conclusionis Theologicæ sit essentialis, vel accidentalis huic facultati; si enim accidentalis tantum sit, poterit esse substantia- liter scientia, cum in patria manere possit evidētia sine obscuritate. Verum de his suo loco.

## SECTIO IV.

*Solvuntur Opposita.*

50. **O**bjicies 1. contra primam assertionem: plures Judæi, qui damnari fuere, eò quod non crediderint Mysterium Incarnationis, jam factum, cognoscunt modò in inferno naturaliter sententiam suæ damnationis certissimam esse justissimam, & irrevocabilem per totam æternitatem: atqui ex illa naturaliter, & evidenter inferunt existentiam Mysterii Incarnationis, ut defacto contigit; cum naturaliter, & evidenter cognoscunt, non posse mentiri DEUM, qui sententiam illam tulit: ergo &c. Respond. dist. maj. cognoscunt actu adhæsivè certo con. majorem; actu metaphysicè an- nexo cum existentia Mysterii supernaturalis, nego maj. & dist. min. naturaliter, & evidenter evidentiã tantum adhæsivã, concedo; evidentiã reali metaphysicè connexa cum existentia Mysterii supernaturalis, nego maj. & consequentiam. Ratio est, quia eo ipso, quod Myste- rium Incarnationis jam factum supernaturale sit, existentia illius est indebita cuicumque enti naturali creato, cum sit suprã naturæ vi- res; unde actus ille naturalis non potest esse realis evidentiã connexa cum hoc Mysterio supernaturali; proindeque si actus ille sit naturalis tantum, erit adhæsiva certitudo, qua intel- lectus sibi firmissimè persuadere existentiam talis Mysterii: eatenus enim habetur ea cog- nitio naturalis, quatenus deservit ad pœnam damnatoris, quem in finem non minus conducit ea firmitas naturalis adhæsiva, quàm deservit- retalia quævis cognitio.

71. Consultò dixi: *si actus ille sit naturalis*: nam licet non possit esse supernaturalis Theolo- gicè quia ens Theologicè supernum ex intrin- secis suis conducit ad vitam æternam, ut ex conciliis & Patribus dixi à num. 386. de vir- tute pœnitentiæ, & actus ille damnatorum non possit conducere ad vitam æternam, sed potius ad æternam pœnam & damnationem eorū; at potest esse supernaturalis philosophicè, siquidem Ens supernū philosophicè, licet etiam excedat vires naturæ, non tamen habet intrin- secam conducentiã ad vitam æternam, ut patet in qualitate comburentis, & torquentis animas in inferno, & in aliis, de quibus in eo ipso Tractatu egi n. 383. 381. & 428. unde quod tale Ens in damnatis reperiatur, nullum prorsus est inconveniens, quin potius Ens Theologicè

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

supernum, cujus ordinatione ad vitam æternam potuerunt in via uti, & abusi sunt dam- nati, defacto in illis manet, ut patet in Chara- cteribus Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, quos urpore indelebiles retinent ad majorem ipsorum ignominiam, cum ita conspiciantur ab altiori statu prolapsi, & propter sua crimina dejecti in infernum, ut inter infames perpetuò plectantur; imò cum Ens supernum philo- sophicè non radicetur in naturæ viribus, sed in amplitudine potentiæ DEI, nullum prorsus est inconveniens, quod habeat connexionem cum Ente Theologicè superno, unde licet ad solvendū argumentum satis sit prima responsio, quam communiter tradunt Theologi censentes illum actum esse naturalem, licet etiam Fides Dæmonum communiter asseritur natu- ralis, quia opus non est recurrere ad supra quando difficultates aprè solvuntur sistendo in rebus naturalibus; at hoc non impedit, ne so- lucio ista efficax etiam sit, si DEUS, ut liberè potest, velit hoc fieri per actum philosophicè supernum.

Objicies 2. contra secundam assertionem: 52. Dæmonia sciebant Christum esse Filium DEI, sive DEUM simul & hominem: sed hanc scientiam non habebant per actum supernatu- ralem; siquidem in damnatis ex communi Theologorum, ut diximus num. superiori a- ctus supernaturalis non reperitur: ergo habe- bant scientiam de Incarnationis Mysterio natu- ralem, ac proinde post existentiam Mysterii potest intellectus Angelicus solo lumine naturæ ductus invenire medium saltem in carentia subsistentiæ propriæ humanitatis, ex quo scien- tificè inferat existentiam Mysterii, min. & consequentia tenent. maj. verò patet ex cap. 4. Lucæ, ubi dicitur: *exibant Dæmonia à multis clamantia, & dicentia, quia tu es Christus Filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia scie- bant ipsum esse Christum*: ergo &c. Resp. neg. maj. ad probationem conc. ant. & neg. con- sequentiam; quia illa verba non sinebat ea lo- qui, quia sciebant ipsum esse Christum: nequa- quam indicant, quod Dæmonia sciverint, sed quod se scire, & evidenter nosse jaçabant. Quare Christus non sinebat ea mendaciter loqui dicendo, se scire, ipsum esse Christum.

Sic censent plures nostri cum Bernal. plu- 53. resq; Thomistæ cum Gonner, intelligendè esse textum illum, præsertim cum isti explicationi consonent potissimum testimonia, quæ dedim⁹ n. 46. quibus consentire videtur Div. Thomas quæst. 41. art. 11. ad 1. & Opusc. 60. cap. 1. quia potius Dæmones suspitionem illam habebant non quidem deductam ex solis natu- ræ principiis, sed cum habuerint in primo suæ Creationis instanti revelationem de My- sterio Incarnationis suo tempore efficiendo, & cum vitam, opera, & miracula Christi maxime admirarentur, facile suspicari poterant, an hic ille esset DEUS & Verbum Incarnatum: hanc autem suspitionem satis manifestarunt Matth.